

N. 6.

A. D. 1267.

(10 dicembre, Indiz. X).

<i>Data di luogo</i>	Conversano.
<i>Rogatorio</i>	Tiberio, notaio.
<i>Descrizione</i>	Carta bambagina.
<i>Contenuto</i>	Il vescovo Bartolomeo di Polignano alla presenza dei giudici e dei testimoni di Conversano mostra la lettera di Radulfo, cardinale Legato, e mette Dameta in possesso del monastero di Conversano.
<i>Bibliografia</i>	Inedita.

In nomine Domini nostri Iesu Christi Millesimo ducentesimo sexagesimo septimo, regnante vero Domini nostro Carolo Dei gratia regis Sicilie, ducatus Apulie, Principatus Capue, Andegaviensis, et Folcarquerii comes, regni eius anno secundo, mense decembris decimo, et Ind. decima. Nos Ioannes de Gravina, Ioannes de Magistro Vito, et Iohannes de Silvestro Iudices cupersanenses et subscripti testes literati eiusdem terre cives ad hoc specialiter vocati et rogati presentis scripture interpositione fatemur, quod Dominus Bartholomeus venerabilis Polianensis episcopus premissa die accedens personaliter Cupersanum, ostendit nobis et publice legi fecit quosdam patentes literas Domini Radulfi Reverendissimi Albanensis episcopi apostolice sedis legati sibi transmissas sigillo pendentes eiusdem domini Legati de cera rubea sigillatas, quarum continenter talis est.

(Segue il documento di Radulfo già riportato al N. 5).

Ad cuius exequationem mandati pre nominatus Venerabilis Polianensis Episcopus diligenter intendens auctoritate ipsius sacri mandati coram nobis Dominam Dametam prefatam Venerabilem Abbatissam et conventum monialium predictarum in corporalem possessionem dicte Abbatis S. Benedicti de Cupersano cum omnibus possessionibus et iuribus suis induxit, — Ad cuius rei memoriam et cautelam predicti Domini Bartholomei Polianensis episcopi supradicte Domine Abbatisse pariter et conventus monialium prefatarum facta sunt duo publica consimilia instrumenta penes dictum Dominum episcopum unum exinde retinendum, et aliud penes predictam dominam Abbatissam per manus Tiberii publici Cupersanensis notarii nostrorum iudicum et aliorum testium subscriptionibus communitum, qui taliter scripsit.

Tiberius publicus Cupersanensis notarius, qui interfuit.

Iohannes. Iudex.

Iohannes de Magistro Vito regius Cupersani Iudex.

Iohannes Silvester Cupersani iudex.

Ego Majo publicus Cupersanensis notarius.

Ego Riccius quondam publicus Cupersanensis notarius.

Angelus q. publicus Cupersanensis notarius.